

- 1 Primum considerentur haec generalia: Aetas hominis, complexio, dies serena, anni tempus commodum, nisi necessitas urgeat sectionem, in eo enim casu prudentes Medici electionem necessitati propter morae periculum plerumque postponunt.
- 2 Deinde Lunae configurationem cum Sole:
Iuuenibus conuenit Luna crescens lumine.
Senibus & etate prouectioribus decrescens uel diminuta lumine.
- 3 Signum quod Luna occupat pro ratione complexionis nati.

Signa apta	}	Sanguineis	}	Bona	Modo ne Saturnus uel Mars in radice natiuitatis ea signa occupent, aut infeliciter aspiciant.
				Mediocria	
	}	Cholericis Aquea	}	♄	
				♃	
	}	Phlegmaticis Ignea	}	♃	
		♄			
}	Melancholicis aerea	}	♆		

Reliqua signa Gemini, Leo, Scorpio. Item terra, Taurus, Virgo, Capricornus impediunt sanguinis missionem. Omnino autem in loco Lunae cauendum est, ne membrum scalpello feriat, cuius membri signum Luna eo tempore occupat. Nam cum ea, totum corpus humectet, id membrum praecipue humoribus implet, quod ei signo subijcitur, per quod tunc ipsa discursu vil, ex cuius nimia humectatione magnum ei nocuentum afferri potest, si ferro tunc ictum fuerit. Quod uero signum cui membro praesit, supra in iudicio de aegritudinibus exposuimus.

4 Luna libera sit ab impedimentis maleficarum & beneficis amico radio configurata.

Haec etiam sine natiuitate nati cognita usum habent, quod si consiterit tibi de eius natiuitate diligenter inquire, quae signa malefici occupent. Nam ea incommoissima sunt missioni sanguinis, Deinde caue ne eo momento ascendat signum tale quod in radice duodecimae, sextae, uel octauae domum occupet, aut in quo malefici uersabantur, aut suos radios hostiles sparserunt. Tertio caue ne dominus ascendens signi tempore phlebotomiae sit in quarta cum Luna aut cum domino octauae configuratus. Malefici cadant ab angulis. Postremo septima & eius dominus non impediatur a maleficis. Nam hic locus chyrurgum significat.

Potiones quando aegrotantibus dandae sint.

Primum, si fieri potest, & nisi maiora impediunt pericula, habenda erit ratio generalium temporum. Vere corpora commodius purgantur quam aestate aut hyeme, difficilius circa canis ortum & occasum. Item frigidissimis aut calidissimis diebus.

2 Deinde obseruanda erit Luna, quae decrescens lumine, & ab impedimentis maleficarum aut coniunctione cum retrogrado planeta libera, commodior est purgandis humoribus, nisi prorsus Soli propinqua sit, tum enim prohibitum est aegrotis medicinam facere.

3 Signum per quod Luna de-urrit. Aquea autem, Cancer, Scorpius, Pisces, maxime sunt idonea subducendis prauis humoribus phlegmaticis, propterea quod Luna humectatrix corporum, in similibus suae naturae signis uires suas magis excrens, alium etiam efficacius cieat. Aerea signa, Gemini, Libra & Aquarius, commodiora sunt Melancholicis humoribus purgandis.

Ex his tamen imbecilliora sunt Cancer & Gemini, quia praesunt superioribus corporis partibus, & magis uomitum quam alium mouent.

4 Habenda erit etiam ratio configurationis reliquorum planetarum cum Luna.

Saturnus & Mars Lunam aspicientes quoquo modo, impediunt medicationes.

Sol & Venus bono aspectu cum Luna configurati, iuuant.

Iouis autem & Lunae coniunctio omnino hebetat uim purgationum, ita augens corporis uigorem, ut medicamentorum uis excocta parum possit.

Quod si horam sumendis Pharmacia aptam quoque eligere libet, cauebis ne ascendant signa ruminantia, Aries, Taurus, Capricornus aut Leo. Item signa superioribus partibus corporis dominantia, quae impediunt quo minus sordes ad inferiora ferantur. Aptissima sunt aquea.

Dominus signi horoscopantis iungatur corpore aut aspectu planetae alicui sub terra uersanti. Nam si coniungatur stella quae supra terram feratur, excitata nausea mouebitur stomachus, quem motum subsequens uomitus purgationem ipsam impedit.

Electio curationis certi alicuius membri affecti.

Membrum affectum commode confortatur, dum signum quod ei membro dominatur a maleficorum praesentia & eorum aspectibus inimico liberum est, & Luna non impedita per illud signum iter faciat beneficis coniuncta.

Item planeta bene affecto, qui dominatur illi membro.

Item signo ascendente hora curationis bene a benignis affecto.

Electio